Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 183
Quelle:
Copyright:

di abrumpitur. Ante annum 1570. ſcribi debuit; nam hoc anno ad Eccleſiam *Aemonienſem*, cujus in Titulo ſupra nulla facta eſt mentio, translatus eſt Autor vir doctus ex O. P. *Venetus*, mortuus a. 1582. cum antea *Patavinas* Cathedras non exiguo tempore ornaſſet, ut pluribus habes apud Ordinis Bibliothecarios T. II. p. 264. *Explicationes* noſtrae retractatae, multumque auctae lucem videre poſthac *Venetiis apud Iuntas* 1575. 4. inſcriptae: *De Sex Diebus conditi Orbis Liber*. Aliud *Vielmi* Opus *de D. Thomae Aquinatis doctrina et ſcriptis* Libris II. poſt edit. *Patav.* 1564. et *Venet.* 1575. rurſus luci redditum eſt *Viennae* 1763. 4.

LXXIV. VIII. A. 18

52 Codex membraneus lat. Sec. XII. aut XIII. Folior. 232. f. per duas columnas luculente ſcriptus, literis initialibus et Librorum titulis miniatis comprehendit *Radulphi*, alias Rodulfi f. Rudolfi *Monachi* Flaviacenſis, Floriacenſis, reipſa *Flaicenſis Commentariorum in Leviticum Libros* XX. Praecedit ejusdem aetatis, ſimulque compactus *Sermo de beata virgine maria* hoc initio: *Creatoris matrem omnis creatura magnificet* &c. hocque termino: *cui laus et gloria et gratiarum actio in ſempiterna ſecula. Amen.* Dein *Incipit tractatus ſuper Leuiticum. Cum inter Socios aliquando ſermo de iudeorum contentionibus haberetur* &c. Prologus hic etiam diſtributionem totius Operis in Libros et Capita exhibet, finiturque: *ſeu per eos in populo tradit diſpenſanda.* Habent et ſubſequi Libri Praefationes ſuas exceptis II. III. V. IX. X. XI. XIII. XVIII. et XX. Praefationem *Octavi* ſic orditur Scriptor: *Quarta iam uoluitur eſtas, tercia conſumpta eſt, in qua uariis occupationibus diſtracti multisque anxietatibus fatigati opuſculo huic noſtro nichil contulimus.* Calx Codicis hanc rubricam habet: *Explicit tractatus Rudolfi ſuper Leuiticum.* Tum hi verſus conſequuntur:

Te duce rex ſuperum uicit certamina miles
Curſor iter. pelagum nauita. ſcriptor opus.
Fercula rodulfi *ſacra delata popina*
Appoſui. poſita ſumere docte ueni
Edificant. faciant. leuitica facta figurant.
Verbera dura patris. vbera matris habent.

Floruit Radulphus noſter teſte *Alberico* trium Fontium Monacho in *Chronico* ab *Leibnitio Acceſs. hiſt.* T. II. p. 329. et *Menckenio Script. Rer. Germ.* T. I. p. 37. edito circa an. 1157. in Coenobio O. S. B. Flaicenſi *(S. Germer de Flaix)* dioeceſeos Bellovacenſis. Monachus Ciſtercienſis erat *Albericus*, hincque *Radulphum* ex habitus colore monachum *nigrum* appellat; unde errorem ortum eſ-

ſe